

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS *manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Iovis decima-tertia Martii.*

M. TUSSANO FONTAINE, Doctore Medico, Præſide.

An jejunorum liberior animus?

I.

MAGNI ad omnem corporis & animi actionem intereſſe quando quis cibo utatur vel careat, declarat quotidianus alimentorum uſus, & certis indicta horis paſcendi corporis conſuetudo: hæc neque quo diei velis tempore, neque ad ægri ſtomachi, vel intemperantis animi appetitum aſſumenda eſt; ſed pro neceſſariâ virium inſtauratione & ſanâ ſervandâ mente ſtatuenda. Hanc ita ſuſceptam qui temere immutavit, in omnia intempeſtivi cibi incommoda incurrit: ex his autem quæ cibum tempeſtivum vel intempeſtivum faciunt tria ſunt, ſomnus, fames, labor: quorum & alimentorum vicinitate inter ſe, vel intervallo longâ vel brevi morâ captanda eſt accelerandi vel differendi cibi opportunitas. Certe cibus legitimo aliquo ſpatio ſemper à ſomno dirimendus eſt: nam qui experrectus quamprimùm menſæ accumbit, parum ſobrius nequaquam intelligit hominem non decere pecudum more ſtatim à ſomno ad paſtum accedere: fame quoque aliquantiſper ſuſtinendâ cibus promerendus eſt, modo illa neque moroſa ſit, neque tam longa ut ſtomachus doloribus differatur. Labor item ut cibus placeat defuiſſe non debet bono quidem modo imperandus tantus quantus obſonandæ fami & integris ſervatis viribus conducere videbitur. Sic omnes cum valemus vitam noſtram regere debemus; ſic præſcripſit qui animum in homine cum corpore conjunxit, & tempus illis dividens, quo ambo ſibi ſuiſque commodis providerent, breviſſimam temporis partem addixit corpori, ſupportaudæ intro annonæ, maximam partem animo reliquit: quia enim ille naturâ liber eſt, & immensâ vi in omnem rerum oram & cognitionem ſe injiciens atque intendens, majus ſpatium ei concedendum fuit, ut quo uſque poſſet, eò, cum vellet, cogitatione excurreret. Hæc autem omnia ita inſtituta convenire tum corpori ad

ſecundam valetudinem, tum animo ut laxius aliquando à corpore ſolvatur, comprobat illorum hominum uſus, quos noſtras vulgus Jejunos appellat, qui tempus, quod inter ſanorum ſomnum, & medium diem intereſt, ita ſine cibo, ſine potu exigunt; ut neque plane otioſis, neque alendi corporis ſollicitudine valde anxiis eò liberior conſtet animus, quo ille ad omnia ſua ſuſtinenda munia jejunitate & ultro ferendâ fame melius comparatur.

II.

HANC ſolemnem inediam qui perferre poſſunt ſine ullo valetudinis incommodo, ſi heſternâ cœnâ leves ad dormiendum ſe compoſuerint ἀμέθυστοὶ, ἄσιτοὶ, ἀθαλπεῖς, ἀειγεῖς, & vacuo curarum in lectulo, ſponte excitatis matutinum jubar haud paulò melius animo quam oculis nitet, evigilant illi cum ſumma ſenſuum omium & animi alacritate, tamque diu fruituri ſomni & vigiliæ bonis omnibus, quamdiu nullum novum opus naturæ incubuerit, neque nova corporis cura animum rebus ſeriis intentum aliò abduxerit. Nam inter placidæ noctis quietem, & nullis inſomniorum terriculamentis obnoxiæ, abſolutâ ciborum coctione, nullo jam ab illis ζυμώσεως motu, pacatis in viſceribus nihil ſupereſt, quo animi tranquillitas perturbari poſſit. Alimentorum reliquiæ & utraque bilis blando naturæ compulſu eò receſſere ubi innoxiæ verſantur, nihil inde aſperſuræ ſanguini quod illius puritati & agilitati officiat: tunc adeò inſtauratis ſomno viribus, & vigiliâ, ut mos eſt, ad quodcumque agendum expeditis, omnia ſunt in homine læta, &, ut fiat liberior animus, apprime parata; modo nullus jentator intervenerit mox impetrante inediâ, ad futura eſt animo ſui in omnem partem verſandi facultas libera & ſoluta, ſive ſenſuum agitatione foras ſe exporrigens oblatis extrinſecus rebus occurrere voluerit, ſive intus apud ſe recedens res ante perſpectas & cognitas ſecundâ & meliori cogitatione recolere, & partam inde ſibi ἀγχινοίαν aſſiduâ meditatione acuere maluerit. Has autem Jejunorum proprias virtutes, liberioris animi ſive propediem obtinendi pignora, ſive retenti præmia, longe à ſe dimoverit qui ſuſceptâ ab inediâ deſciverit.

III.

ITA quidem fieri ſolet. Cum quis paſtus fuit difficilius animo utitur, aſſumptis cibis confeſtim ſurſum effertur anathymiaſis, quæ cum mentis arcem inſederit, involuto cerebro, conſopitis ſenſibus ut plurimùm una cum corpore dormitat animus. Argumento ſunt qui remotâ menſa repente in Bibliotheca ſedentes & abditi ſemiſomnes libris incumbunt: nam diverſas in partes & in diverſum opus diſtricta natura quidquid cerebro vel cordi ſuffurata fuerit, aut aliunde conparſerit, quod in ventriculum convertat, in coquendis cibis impendat, deſtitutus animus deſiderat. At ſi ſervatis victûs rite inſtituti legibus, nemo paſcendo corpori vacat. quin ex eo decedat aliquid, quod animo profuturum eſſet, ut liberius ageret: quanto incautior qui adventantem tempeſtivo paſtu animi tarditatem intempeſtivo repræſentat & auget, & oblatam inediâ melius aliquandiu de rebus ſentiendi libertatem aſpernatus eò ſponte devolvitur, quò vulgares animas demittit præceps edendi aviditas, à quâ non ſolum jejunos inedia ſervat, ſed etiam à pluribus aliis corporibus & animi morbis, in quos impellunt homines uſitata illa, ſi con-

ſuetudine & quotidianâ menſarum ſucceſſione invaluerint mane eſitantium ſymptomata, frequens & vix eluctabilis à paſtu in ſomnum propenſio, capitis gravitas, ſenſuum hebetudo, univerſi corporis ſegnities, & qui acutam mentem non parit obeſus aqualiculus. Contrà vegeti ſenſus, mens præpes, & acuta membra ad omnem motum expedita, & quicquid juſſerit animus ſubito occupans induſtria, magna ſunt ab inediâ ad liberum procurandum animum adjumenta, niſi jam liberioris monimenta. Igitur jejuni fruantur bonis inediâ paratis, fruantur libero, quo beati ſunt, animo: nam longiuſculo quo illorum inedia perdurat ſpatio toti ſecum eſſe, & ſoli ſibi vacare animo datum eſt: pars vero animi melior, cujus proprium eſt omnia à ſe ſibi vel à ſenſibus oblata agitare ſola & reputare ut velit, nullo recenter ingeſti cibi aut in ventriculo adhuc efferveſcentis nidore ſurſum obvoluto libera. hauſtas è ſenſibus rerum imagines acie curatiſſima perſpicit, illas omni detractâ materiæ concretione enudat, quas apud ſe reconditas cum libuerit repetere & revolvere poſſit. Adde viarum ſive partium quas ab externis ſenſibus ad animi ſedem natura perforavit ſummum nitorem & expeditam laxitatem, quibus efficitur, ut illatæ per ſenſus rerum ſpecies eò facilius animum ſubituræ ſint quo vectores earum Spiritus majorem ab inediâ tenuitatem & ſummam cum indigenâ agilitate puritatem obtineant. Nihil igitur jejunis admodum deeſt, quin animo ſint ad omnia liberrimo. Multo ſecus cum illis agitur, qui bene mane perpaſti, & cibo ac vino referti temulentum animum eò adigunt, ut niſi ſuperatis quæ perperam aſſumpta ſunt alimentis, melior ille ad ſe & liber redire non poſſit.

IV.

PRÆCLARA conditione fertur animi vindex inedia, quæ nequidem cum deſinit animo prodeſſe non ſinit: nam jejuni ſolito labore perfuncti, quod communiter illis accidit, provectiore jam die, integram famem ad cibum ſic afferunt, ut vel inde noverint quis ſibi ſit capiendis cibis ſtatuendus figenduſque modus, ut tantum corpori largiantur, quantum animo convenit, ut ab omni alimentorum impedimento ſolutus & integer permaneat: idcirco illi cibis utuntur nullam animi noxam habentibus, è cercalibus fructibus, & reliquo vegetantium penu ram ſalubriter. quam ab animantium carne vel ſanguine petendis. Hinc apud jejunos concoctio ciborum inemendabilis, labore famem, fame calorem ſic acuente, ut nihil ille fervente coctionis opere ſurſum efferri ſinat quod cerebro infenſum ſit, & animum percellat. Hinc etiam ſanguis ab omni parte laudabilis eâ temperatione cerebri medullæ affuſus quâ materiem illam affatim proferat, ex qua cuduntur ſpiritus tum animo ſe moventi, tum naturæ vitam ubique tuenti utiles, tandem edendi paucitate excrementis corpus vacuum nullatenus animo grave futurum eſt: ſic propter anteactam inediam omnibus in animi bonum vertentibus quæ propter intermiſſam imminere videbantur, haud magno quidem jejunis conſtiterit liberior animus, quem ut vendicent à corpore & omnem ab eo alimentorum preſſum depellant, ſufficit omiſſo præpoſtero paſtu culpâ catuiſſe, qua qui ſe implicat, ſæpe corpori non parcit, ut animo noceat.

V.

ATTAMEN ſic vita hominum eſt, ut plurima eveniant quæ liberum animum & in agendis rebus ſuum ſemper eſſe non ſinunt: nam præter multa ab irarum & cupiditatis ſede profecta, quæ illum procul à recto rationis tramite nolentem abripiunt, etiam ab ipsâ naturâ multa ingruunt, ut ſomnus, fames & fame ſitis potentior, quæ ſummâ vi cum imperent, omnem adimunt animo ſui regendi poteſtatem ſomnus πανδάμαρ ille, quo nullum animal carere poteſt ne plantis quidem inſueto, animum in homine ſic impedit, ut indormiente vix ullus appareat: dormientis parum diſtat, qui ſomno gravis adhuc, aut parùm ab eo diſſitus menſæ accubat, & diem à paſtu incipit, quo laborem & diem niſi finire ſaltem medium dividere præſtabilius eſſet, quam intempeſtive edentem vel in ſoporem relabi, vel dimiſſum ad laborem cunctanter & oſcitantem rèdire. Næ ille quem matutinæ delectant epulæ, neſcire voluit quo more publico in communem vitam invecta ſint jentacula: male memorem eorum, quæ liberum animum facere & ſervare poſſunt, decepit edacis & ignobilis vulgi conſuetudo, quæ nullo naturæ inductu, nullo ſalutari artis præcepto increbuit, gulæ magis quam egentis naturæ deſiderio: numquam enim natura tulit hominem prius & magis ventri ſervire quam animo, & conceſſum labori tempus proponeræ comeſſationi inſumere: medentium vero leges & jura vetant vix abſterſis cœnæ reliquiis & forte crudo adhuc ventriculo cibos committere, quos eò quiſque faſtidioſius guſtat, & invitius ſi ſapit, quò à ſomno recentior fuit, aut aſciticia fame provocatus gaudet animum affligere alieno tempore ſatur, quem jejunus erigere & innata libertate vigentem retinere potuiſſet. Primæva virtus hacce noſtrâ ætate numeris omnibus præſtantior unico paſtu contenta, fuit quo diem claudere, nedum incipere conſuevit. An etiamnum hodie ſalubrior foret iſta vitæ ratio, neque labore neque inedia vires atterente corpus & animus adverſus morbos firmarentur. Verum gens eſt quædam mortalium querula, delicata, cui quicquid humanitùs accidit morbus eſt, levior inſomnia noctem diffidit, inviſus pallor faciem decoloravit, commotiuncula caput tentavit vel ſtomachum, exclamant alto jam ſole ſubductâ longius menſâ caput fumo oppleri, caliginem & tenebras ſenſibus & animo offundi, inediam præſcriptis verbis dimittunt, at innocentem corpori multùm, plurimùm animo ſalutarem, cujus tanta eſt apud jejunos & conſtantes præſtantia, ut tantò illi præ cæteris animo valeant, quantò ſano incorpore mens ſana & libera bonis omnibus anteponenda eſt.

Ergo jejunorum liberior animus.

Proponebat Pariſiis FRANCISCUS-FAUSTUS ALLIOT, Pariſinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1687.

Ex Typographiâ Franciſci Muguet.